



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)



AD LECTOREM.



NGENII mei, Lector amice, quaecumque illud sit, primus in lucem prodit factus, Philosophicas tibi elucubrationes offero, quarum clariorem, quam potui perfacilioremque Methodum, Controversiarum Series satis ostendet. Neque de operis dispositione, aut diuisione praefabor, cur enim seriem doctrinae referam, eandem protinus expensurus, quam in Voluminis cortice, & in subiuncto didiceris Indice, etiamsi ipsam doctrinam neque exentrare, neque euiscerare velis. Illud tamen exopto, ne opus hoc quantitate perpendas, vel foliorum numero, aut magnitudine aestimes. *Mihi enim cura fuit causam potius implere, quam paginam.* Neque illos amo, qui plura videntur dicere, quam docere. De magnitudine ipsa operis (fateor) frequenter commendatur autoritas, & venustas, quia voluminibus ipsis *authoritatem quandam, & pulchritudinem adiecit magnitudo.* Ceterum neque pulchritudinis aliquid operi addere quantitatē duxi, neque illius commendationem magnitudine comparare studui. Quaestionum cuique, quod merebatur impendi, plura occurrent succincta, & perfunctorio ut aiunt, calamo disputata, plura diffusa, & altiori meditationi composita: neque illa protrahi debuerant, ne monstrosa, neque ista minui, ne manca prodirent. Quaedam liberalis, illiberalis alia natura concessit, nucleus saepe inuolucro leui plicatus palato sine labore dulcescit, saepe duro conclusus cortice, & labyrintho mæandro latet inuolutus, nec raptim quidem, sed ardua inuenitur indagine. Segne illorum ingenium odi, qui indiscretâ materiâ vbique breuitatem affectant, quippe ignorare aliqua malunt, quam verborum expensis difficultatem penitus exantlare, & cum omnia agant, vix aut nunquam quidquam peragunt, utrobique fortasse & stylo protracto, & contracto peccatur: aut longo discrimine, nam *alius dicitur excessisse materiam, alius non implexisse, aequè uterque, sed ille imbecillitate, hic viribus peccat.* Referentem oportet veritatem indigitare: demonstrare, & persuadere docentem: ille autem guttatim instillet hic non ineptè effundat vbertim. *At est gravior multis actio brevis: est quidem, sed inertibus, quorum delicias, desideriaque quasi iudicium respicere ridiculum est, nam si hos consilio habeas, non solum satius est breuiter, sed omnino non dicere.* Silentium quidem & in dicendo breuitas vnum est imperitorum asyllum, quibus nullus remaneret locus venia, si plura loquerentur: sola breuitas commendat indoctos: supra errorem est proluxa narratio rusticantis: quando ab ignaro extortum fuerit, quod diu legatur, sibi rancorem suum debet exactor. Neque ideo me, Beneuole Lector, doctum commendare, omnique ex parte absolutum opus vendicare existimes, sed dicta praemissi, quibus si quandoque proluxus accuser (quod ab eis, qui in Voluminis quantitate sistunt, secus, qui scripta penitus inspicere progrediuntur, fortasse contingere vereor) omni damnatione liber euadam. *Hand enim de illis sum, quibus, si dicendi copia est, neglectis rerum causis rationis animum spernunt, & verborum corpora diligunt.* Id imprimis eonatus sum, utinam assequutus, ne tibi verba inania, & voces solum sonantes effutirem, ne sententias magis cum fucis, quam succo propinare, neque Philosophiam sine Philosophia traderem. Nullam, crede, fui opinionem amplexatus, quam vel neruosa rationum vis non euincat, vel ceteris probabilitate, aut facilitate praeferre non iudicem; id dum praesto aliarum sententiarum argumenta commemoro, ut viuida, vegeta, ad amussim, totisque numeris absoluta excepturus intorqueam: quo sit, ut aliis leuia, & ab his, qui ex vetustis Doctoribus fide potius, quam lectione recepere, bene librata, in meliorem formam composita pondus accipiant, & iam firmiora firmiores alias nouasque exigant solutiones. Neque enim, quas non probo, praetermitto sententias, imò eis etiam refellendis (si quas possum) vires adiicio, ut praeter vetustate languentes ac ferè antiquatae in nouum restitutae vigorem propius ad veritatem accedant, ne deinde eas in despectu habeas, sed labore, ingenio & difficultate rerundas. Hinc tibi, mi Lector, Philosophiam vulgarem quidem profero, meo tamen satisfecero voto, si eam non vulgariter tradiderim; opiniones namque sectatus sum plerumque communes, nouas & insuetas opinandi vias sine vrgenti rationum vi, & argumentorum

*Sidonius
in Epist.
ad Claud.
Plin. lib. 1.
Epistol. ad
Tacit.*

Ibidem.

*Ennod. lib.
7. epist. 12.*

*Claudius
Mamert.
de statu
animae, lib.
1. epist. 1.*

pondere probavi nunquam? Etenim *temeritas præterquam quod stulta, est etiam infelix*. Cavi hunc scopulum, & nihil audacter, nec quidquam temerè pronunciaui, illos exofus, qui propria somnia, aut deliramenta phantasiæ magis nouitatis libidine, quam studio veritatis extollunt, & ubi disputationis ventum ad pugnam, patiuntur semel, & iterum opportuna instari importunitate, suâsque solutiones toruis superciliis à circumstantibus excipi, utque quod semel infederit animo, omnino non corruat, gemit mens interclusa discursu, & mentitura cum nouitate trahitur angustis, ex quibus potius vocibus, quam verbis adnuntantur elabi, & quod falsitas falsitati opituletur, nouitatum trahitur catenata series, quam vel inuitos trahere necessitas adigit consequentiæ. Id etiam cauabor, si quandoque videar in aliorum, quorum non do nomina (quod non frequenter accidet) memorandis & refellendis opinionibus aliquantulo longior: testor enim me nullius vnquam sententiam retulisse, quam vel propter illius acumen, vel propter patronos indignam non censuerim prætermitti: maximè cum is honor plurium, quos iuste veneror, deberetur ingeniis, & quorum memoriam frustra immatura mors festinauit delere, aut saltem obscurare; eorum enim nomine, ni intempestius obstitisset interitus, illustria satis iam properabant nobilitari volumina. Idem quoque à me in alios exigebatur officium, qui superstites adhuc licet Authorum nomen non adepti, iam certè & ingeniorum fecunditate, & scriptorum subtilitate meruerunt. Etenim is sum, qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio, neque enim quasi lassæ, & effeta natura nihil iam laudabile parit. Horum igitur, quos frequenter recentiores appello, par non fuit ingeniosas non recensere sententias, & inauditas haud sine subtilitate rationes silentio obtendere; in his autem non debuit timeri fastidium, quod satis arcebat procurata veritas, & recentium cogitationum, quas vel explodo, vel refero, iucundissima veritas. Ita solemus qui ingenio parum fidimus satietatis periculum fugere. Liber attamen varius est, quia licet rarè, aut nunquam sine graui rationum pondere in approbanda doctrina nouitates admittam. Cæterum quæcumque ab ingeniosis Doctoribus nuper adiunctæ, & excogitatæ sunt, eas toto opere ita digessi, ut ferè earum omnium nullam meus Lector desideraret. Sic opus vel de argumentis, vel de impugnationibus, vel de propriis, alienisve cogitatis intertextum prolixitatis, si quæ est, fastidium aut minuet, aut omnino remouebit. Neque in eam incidi elationis insaniam, ut Philosophiam meo iudicio irrefragabilem venditem, cui subscriberent calami, vel in quam ingenia iurent; absit: sic enim propriam amplector sententiam, ut à pluribus oppugnari & retorqueri posse non ambigam, quorum censuram non respuam, sed efficaciori ratione fultam sententiam adhuc meæ oppositam libens amplectar, & propriam bene refutatam dediscam. Ergo nostrum tibi, Lector, mittimus librum, ex quo futura ne sit posteris aliqua cura nostri, nescio; nos certè meremur ut sit aliqua non dico ingenio, id enim superbum, sed studio, sed labore & reuerentiâ posterorum. Neque ut conceptus est fœtus hic, mox prodire gestiit, sed multo tempore consilio, longâque mentis meditatione confoui, & quod maius est, antequam typis eum dare decernerem, sæpe omnium opinionum, quas nunc tibi scribo, publicarum concertationum aleâ, præcipuè in hoc nostro Complutensi Collegio periculum feci, ubi tam nostrorum, quam externorum Magistrorum ictus sine dedecore sustinuerunt; integrum etiam opus amicorum trutinæ commisi, qui auidè euolutum, & ad umbilicum expensum in lucem dari exigebant, moras incusantes editionis non properatæ, sæpissimèque hoc maturissimum appellantes opus, ne illius differretur excusio, & præsentis suadebant, & absentes adhuc litteris hortabantur. Scio, graues hiatus patitur alienæ gratiæ commissæ credulitas, nec latet quàm omne crimen transeat, qui vult decipere confidentem. Propterea suaderi, & persuaderi non puduit ab illis sapientissimis, doctissimisque Philosophis, ab omni que adulationis suspicione alienis. Fruere igitur, humanissime Lector, & quæ tibi non placuerint, non culpæ tribuas, sed errori. Quod si eâ facilitate & gratiâ hæc proxima acceperis, quæ Censores doctissimi, laus potius speranda, quam venia obsecranda est, mihi tamen venia sufficit. Vale.

Plin. lib. 3.
Epistol. ad
Cani.

Plin. Epist.
ad Tacit.

Facultas